

Lc

Quando magister Tolosanus natura concessit.

CAP. CLXXXIII.

Acr. 5

Sub anno Domini mcccxxvi die v intrante mense Aprili, compilator libri huius, magister Tolosanus nomine [a], sanctae Faventiae Ecclesie diaconus atque canonicus, relichto carnis pondere, diem clausit [b] extreum [A].

Quando rex Iohannes venit Faventiam.

CAP. CLXXXIV.

Post gloriosum Virginis partum ccxxvi post millesimam in mense Aprili dominus Iohannes de Brenda [c], rex Hierosolymitanus, ob graves discordias quae inter se [d] et dominum imperatorem generum suum, (105) videbantur exortae ab eo discessit, et venit Asculum, deinde Anconam, et ibi stetit per aliquot dies cum uxore [B] prae-
gnante. Ea vero ibi dimissa, venit Faventiam; quem Faventini honorabiliter receperunt, et in omnibus largissime dederunt expensas. Ravenne tunc dicto imperatore existente.

Quando Faventini miserunt l milites apud Mantuam.

CAP. CLXXXV.

Mai 27

Anno Domini mcccxxvi die v exeunte madio in vigilia Ascensionis Domini, Faventini miserunt quinquaginta milites, ad pugnam mirabiliter armatos, in Lombardiam apud Mantuam, in servitium nostrae societatis Lombardie, et Amezum Karentanum, eorum potestatem cum eis, cum victualibus et aliis necessariis optime præparatos, domino Imperatore tunc Parme existente.

[a] *Tolosanus nomine.* Sic semper C. M.: *Tholosanus nomine*, sic C. V. — [b] *diem clausit.* Supplevi sic; nam deest *diem* in Codd. — [c] *Iohannes de Brenda.* Sic Codd.; sed ceteri scriptores eum *Iohannem de Brenda* appellare consueverunt. — [d] *quae inter se.* Sic corrigi. Codd. habent: *quas inter se.*

[A] Ex hoc capite patet, quod supra monuimus, hos Annales nimirum ab alio scriptore continuari, et quidem inceptam faire continuationem loco jam indicato, paulo ante, videlicet, quam apoplexia corripseretur Tolosanus. Hic Cod. Viar. titulos capitum, quos in medio libro plerumque omiserat, iterum praefixos refert.

[B] Nempe Berengaria, sive Maria, cuius jure haereditario Iohannes regno erat potitus. Haec regina, anno sequenti 1227, Bononiae filiam edidit. Vide *Annal. Murat.*